iusta sibi sit materia conquerendi.

Querela R.

Querelam Tebaldi fidelis nostri nuper serenitas nostra intellexit quod cum dudum tempore pro Arnaldo comitis quasdam possessiones et domos suas sitas in castro alto ad eum devolutas spectantes pro molestiam et iste detinet occupatas et ipsius iniustum est sed dimitte et restitutione contra in ipsius grave preiudicium et non modicam lesionem. Unde fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ut supra.

Conclusam appellationis causam condempnationis lata per B. dictum tunc potestatem civitatis Castelli contra T. Rubeum de eadem terra sub ... ad Pandulfum de Fasanella proditorem nostrum olim in Tuscia de mandato nostro vicarium generalem prout asseritur legittime interiectam sub eo quod T. Rubeus predictus pro sermone de civitate ipsa coram eodem potestate extitit accusatus quod eundem G. percussisset cum cultello fidelitati tue duximus committendam mandantes quatenus processus et sententie late tenore diligenter inspecto partibus et iure presencia convocatis et que iuri devenire fuerint convocandi si presentatum potestate ordine iudiciario et non ex officio tibi constiterit processisse ad confirmationem vel infirmationem ipsius processus condempnationis sicut prout fuerit de iure procedas.

Peticionem

Stalis de castro Bitonti

iuri fidelis imperii nostro culmini presentatam tibi transmittimus presentibus interclusam fidelitati tue mandantes quatenus petitionis ipsius tenore diligenter inspecto et plenius comprehenso inde facias quod iuri et honori nostro videris expedire.

Affectu vero

Alta recepit excellentia nostra litteras quas misisti et que continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Gratum eo uno quod te vero patres scripsisti convenientes pro servicio nostro in Sardinia profectura industrie tue studium plurimum commendamus tibi proinde plenitudinem gratie promittentes.

Solita

Solita benignitate recepit nostra serenitas litteras quas nostro culmini et que continebantur in ipsis intelleximus diligenter ad id autem quod de facto R. de ... fidelis nostri nostre celsitudini cuius vinolen. fidelis nostri ad presens in regimine Ferentini continuastis eundem R. ad presens in regimine ... iuvene existencium fidelium nostrorum necnon et in ... existentem in partibus Romanis utilem existere asserentes et ideo supplicastis ut ad relaxationem ipsius et similiter socii qui in regno de mandato presencialiter commorantur celsitudo nostra intendat dignetur fidelitati tue duximus taliter respondendum quod ... rescribimus nostre beneplacitum voluntatis.

Cum E. et T. cives lynon.

Cum fideles nostri per eorum litteras nostre supplicaverint maiestati ut quia R. de Capua fidelis noster fovet ad presens sub regimine Ferentini iuvene existencium qui in nostre fidelitatis constancia perseverant necnon et in inclitis nostris in Romanis partibus exequendis plurimum oportunus dignaremur eundem R. et socium ipsius de mandato nostro in regno sub custodia commorante relaxare de nostra gratia speciali. Volentes itaque in hiis eorundem ... sicut decet fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus tuis litteris de ... reddas quid inde nobis expediat maiestati.

Devote maiestatis

Presentiam accedens J. de Bosco miles fidelis noster celsitudini nostre humiliter supplicavit ut cum pro fide nobis servanda derelictis omnibus stabilibus suis a civitate Placentina nostris rebellibus discedendo ad nostrum servicium venit moraturus et in eisdem serviciis nostris cum dilecto filio nostro H. illustri rege Sardinie sacri imperii in Ytalia generali legato hactenus stetit in equis et armis bene munitus fideliter et devote ad sue vite sustentacionem cum aliis stipendiariis nostris ipsum recipi de nostre benignitatis gratia mandaremus. Nos itaque ipsius supplicationibus inclinati fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si memoratus J. fidelis noster armis et equis ad te munitus venit ut decet ipsum inter alios stipendiarios milites qui tecum in nostro servicio commorantur recipere non postponas provisurus eidem quod in stipendiis sicut aliis stipendiariis supradictis parte providetur de mandato nostre celsitudinis speciali.

Processus

Pisanorum

Processus intollerabiles et enormes quibus fideles nostros regnicolas securitatis nostre litteris defendentes in regno gravant persequuntur prout nuper in litteris D. de Egidio angelo iusticiario in Sicilia citra flumen Salsum fidelis nostri culmini nostro transmissis inspeximus fidi tue prudentie refrenandos ut per te in regione ipsa presente consilio civitatis Pisarum nostris fidelibus debeant reservari. Propterea fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus insolentias in dictis litteris comprehensas illatas nostris fidelibus ut est dictum in consilio predicto proponens ex parte culminis nostri potestatem et consilium civitatis predicte quod Pisanos navigantes sic de cetero studeant cohibere quod contra regnicolas in regno vel alibi aliquatenus de cetero non insurgant nec eis in personis aut rebus molestias inferre presumant sic cum Pisani predicti quod non condigni ab eorum excessibus non cessarent maiestatem nostram non deceret eorum excessus ulterius tollerare.

Supplicavit

Excellentie nostre S. de Genus fidelis noster et nos supplicationibus ipsius benignius inclinati fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si premissis veritas suffragatur et contra ipsum iudiciario ordine cognita extitit et male sententiatum processum et formam condempnationis eiusdem sub tuo impressione sigilli nostre curie studeas destinare eidem potestate medio pro parte nostre celsitudinis precepturus ut similiter totum processum condempnationis eiusdem habitum coram eo ad nostram curiam sub suo sigillo destinare procuret. Ut in causa ipsa prout iudices magistri curie nostre de ipso processu certiores procedetur sicut iuri et honori nostri culminis viderint idem iudices expedire precepto parte sed eidem potestati et communi de sindico ipsorum ad nostram curiam destinando pro certo termino B. peremptorio termino assignato quo se nostre curie representent in causa eadem prout convenit processuros iusticia mediante. Volumus insuper ut de die citationis et termino tuis litteris debeas nos